



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Llobetii Leodiensis E Societate Iesv. Specvlvm  
Ecclesiasticorvm, Ac Religiosorvm.**

**Llobet de Lanthin, Jacques**

**Leodii, 1640**

§. 3. Tertia etymologia nominis Clericus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47105](#)

*monet exemplo Magdalenæ: Vnge pedes Iesu bene  
vviendo: Dominica sectare vestigia: capillis terge:  
si habes superflua da pauperibus, & Domini pedes  
terfisti. Capilli enim superflua corporis videntur.  
Habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua  
sunt, sed Domini pedibus necessaria. Fortè in terra  
Domini pedes indigent.*

## §. 3.

## Tertia etymologia nominis Clericus.

**P**Io quodam excessu mentis, ac lætitiae victus  
*p. 15. v. 5. 6.* Propheta exclamat. Dominus pars hæreditatis  
meæ, & calicis mei. Funes ceciderunt mihi in præcla-  
ris: etenim hæritas mea præclara est mihi.

Ex humili rure, paupereque tecto in solymæ Re-  
giā, diuītesque gazas euectus erat Dauid; non  
humana sorte; sed diuino consilio, & amabili  
prudentia, de qua tamen non gaudet, non exul-  
tat, non sibi suisque gratulatur: sed de hoc vno vel  
maxime, quod Dominus esset pars hæreditatis suæ,  
portio calicis, præclari funes, à quibus immensa hæ-  
reditas, non ea quæ immortalibus obuenire solet, quæ  
est exigui ruris, angustique soli; non etiam ea quæ  
Genijs immortalibus, quæ est effusa Cœli vastitas,  
superum Regia, sedes beatorum: hæc enim omnia  
ut pusillo homini magna videri possint, ei certe  
magna videri non possunt, cui nota sit, & perspecta

Dei

## AC RELIGIOSORVM.

19

Dei magnitudo, quæ quia Dauidi in oculis, in animo erat, de ea vna miris incessit gaudijs, & in memores auras emisit illud. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei;* merito dixit *calicis mei;* tum ut innueret sibi à Domino abundè prouideri de cibo, potuque, deque vitæ necessarijs, tum ut alluderet ad antiquum morem, quo portiones hæreditatis in calicem mitti, & ex eo sorte extrahi solebant: quo spectant illa verba filij prodigi ad Parentem. *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit;* tum denique ut tacitus insinuaret æstum illum diuini amoris, à quo vocatus erat in eam Domini sortem, ac hæreditatem.

Huius porrò supernæ beneficentiae symbolum est calix, qui Cassiodoro interprete dicitur à calore, quod eo veteres calidam biberent: fuit ille calix omnino calidus, non musto, non mero æstuante; sed calore, sed luce, sed igne diuinæ munificentie, à qua venit Dauid in Domini hæreditatem, in partem beati calicis, & funes extendit in præclaris; vel ut Hieronymus vertit *in pulcherrimis;* vt Aquila *in venustis;* vt Chaldæus *in dulcedine;* vt alij *in optimis:* antiquo rursum more, quo hæreditas, omnisque terræ portio fune describebatur, isque fortunatus dicebatur, cui funes cecidissent in præclaris, cui amœna, fertilis, salubris regio obuenisset.

Atque hæc ad Dauidem & prisca sæcula specta-

Luc. 15.  
v. 12.

C 2

re

20 SPE CVLVM ECCLESIA STICOR VM,  
revidentur: quod subiungam nostræ ætatis est, Or-  
dinis nostri; cuius nomini appendi potest hæc epi-  
graphe.

*Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, quod  
facit ad laudem, ad dignitatem, ad maiestatem Cle-  
ricalis ordinis, cui non terra, non maria, non æther,  
non cœli spatia sunt hæreditas, sed Dominus.*

*Quærant alij, sibi que metiantur in terris am-  
plissimas possessiones, scribant nomina sua in ter-  
ris suis, hic se dicat Dominum à Monte, ille à valle  
sibi nomen, famamque faciat, aliis à Palude signari  
se velit: Clerico hoc vnum pro nomine, pro hære-  
ditate, pro titulo honoris inscribitur.*

*Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Ex-  
currant alij in regiones externas, traijcant immen-  
sa maria, nouos venentur orbes: Clerico plus satis  
vnum illud. Dominus pars hæreditatis meæ, & cali-  
cis mei.*

Frater  
Paulus  
Carraria  
in mor.  
Theo.

Religiosus olim è Dominicana familia virginis  
Matris amantior in fronte operis sui palmam acul-  
pi, & erigi voluit, cui media insideret Deipara: sub-  
iecta epigraphe.

*Ipse mihi satis, si mihi satis.*

*Quod ille, Virgini, quod Matri indulgens ap-  
pinxit amor, hoc Clerico veritas adiicit mutata  
duntaxat vocula.*

*Ipse mihi satis, si mihi satis.*

Vadem

Vadem habeo ex eadem religiosa D. Dominici familia, Doctorem Angelicum, S. Thomam Aquinatem, quem omnes scholæ Theologorum loquuntur & pulpita; scripserat ille iussu Pontificis summi, cuius arbitrio, legeque viuebat, scripserat, inquam, opusculum pium de venerabili Sacramento, cumque accurate elucubrasset, legendum exposuit, probandumque, non hominum calculis, aut sententijs, sed certiore diuinæ sapientiæ oraculo, ac suffragio Dei hominis, Christi Iesu, à quo has è cruce voces exceptit.

*Benè scripsisti de me Thoma, quam mercedem à me petis?*

Liberæ voces, opulentæ, aureæ, diuinæ: ad quas in puriore Christi schola, altioreque lycéo creatus Doctor.

*Non aliam Domine, quam te ipsum.*  
Doctæ, piæ, magnificæ voces, dignæ cedro, dignæ quæ Clericorum omnium animis imprimantur. Legerat nimis Angelicus Doctor, senseratque quid sibi esset nominis, & quæ vis, in una Clerici vócula, à qua fors Deus, & hæreditas de qua ex vero iactare potes illud.

*Ipse mihi satis, si mihi satis.*

CAPUT

Felicissime